



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1676.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

Storiæ fuerunt Insulæ Volinia , & Usedomensis, quæ cum locis aliis haud paucis cedere in potestatem Brandeburgi. Eâdem felicitate extortus Suecis Ducatus Verdenfis, & Bremensis, exceptâ una urbe Stadia, ab Episcopo Monasteriensi & Principibus Brunswicensibus; quo eodem tempore Rex Daniæ deleta classe Suecorum in Portu Wismariensi ipsam Wismariam paulò post suæ potestatis fecit.

In littore Affricano à paucis militibus Hispanis egregiè defendit ut contra iugentem Barbarorum multitudinem arx Granensis.

Mense Januario portum Messanensem inuestus sex navibus armatis & tribus onerariis urbis possessionem cepit nomine Regis Ludovici Marchio Valavodiensis, & mox sibi consignari imperavit, quidquid ad tutandum locum adversus Hispanos conferre videbatur.

*ANNUS 1676.*

**R**omæ diem extremum clausit Clemens Pontifex maximus, cui post paucas hebdomadas successit Benedictus Odeschalckus, qui Innocentii XI. nomine insigniri voluit, patria Comensis, sed eo rerum terre-

terrenarum contemptu, ut cœlo originem ducere crederetur, ita abundantiam præviarum virtutum exemplo orbi notus, ut dignitati tantæ omnino par, fausta omnia polliceretur. Hæc à primis diebus asseruisse visus est, dum neglectis iis, quæ carnis & mundi erant, Pontificatûs ministros eos solos voluit, qui virtutum calculo probarentur, divitiarum & gloriæ adeo temperans, ut nec sibi, nec suis quidquam è principatu arrogaret, nisi quod curas & laborem exigeret.

Festinata rursus expeditione faventem sibi reddere conantur Martem Galli; In Belgio suæ potestatis fecerunt Condæum, Buchainum & Ariam, in Diœcesi Leodiensi Bullionium, in finibus Palatinatûs & Lotharingiæ ditionem Bipontinam, & in finibus Burgundiæ Mompelgardium, Duce Wirthenbergico, cui parebat, ad Helvetos se recipiente, Hujus tamen, uti & Ducis Bipontini Protectorem se dixit Ludovicus, eoque se tantum nomine occupasse ditiones, ne in manus Cæsarianorum inciderent.

Econtra Dux Lotharingiæ Carolus V. extincti anno præterito alterius Caroli nepos, Præfectus summa autoritate copiis Cæsa-

rianis capit post trimestrem obsidionem Philippoburgum, urbem ad Rhenum munitissimam.

In mari siculo bis pugnatum inter Gallos & Hispanos, hisque fœderatos Hollandos, cum nonnulla clade Gallorum; qua tamen brevi reparata, dum otiosis consultationibus tempus terunt Hispani, occupant Galli Taurominam, quæ situ egregiè munita exiguo præsidiariorum numero defendi potuisset.

Sueco varia iterum erepta loca à fœderatis, Brandeburgo, Monasteriensi, & Brunswicensibus. Reportavit quidem victoriam aliquam de Danis in Scania, qua tamen vel non potuit, vel nescivit uti.

Post longos tractatus sancita pax inter Turcas, & Polonos, cujus summa, ut abolito tributi nomine, quod tempore Regis Michaëlis pacti fuerant, & restituta reipublicæ Ucraina cum potiore parte podoliæ, juris Turcici maneret Caminiecka cum eo districtu, quem Rex designasset.

Hollandi veriti, ne authoritas Principis Auriaci altiùs exurgeret, seriò cogitant de concludendo bello & renovandis pacis tractatibus; qui jam olim Coloniae cæpti fuerant.

erant, Pro loco conventus electum Neomagum ad Vahalium.

Viennæ diem extremum obiit Claudia Felicitas secunda Cæsaris Leopoldi conjunx, qui cum prole masculâ hætenus destitueretur, ad tertia vota hoc ipso anno transit cum Magdalena Tereña, Palatini Neoburgensis filia, ejus, qui in Electoratu defuncto Carolo Rheni Palatino successit.

*ANNUS 1677.*

**H**Oc anno Pontifex Innocentius, ut radicem præcidret homicidiis, aliisque malis innumeris, solenni & severo edicto sustulit immunitatem destriatum, quos circa palatia hætenus describere solebant Oratores Regum & Principum, & in quibus prætendebant jus asyli omnibus eò confugientibus sacrum & inviolabile. Acriter etiam restitit Oratoribus, Hispano & Gallico, quod contempta sua authoritate, quam Romæ volebat omnino servari indemnem, non desisterent in urbe conscribere milites & rapere ad signa etiam invitos,

In Belgio Galli vix dum mitescente non nihil hyeme asperiore Valencenas, Urbem Hannoniæ maximam aggrediuntur, & præfestinâ deditioe in potestatem redigunt.